



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute  
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione  
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in  
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1626**

VII. In quo gradu perfectionis Societas Iesv instituta sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



opera sunt cum actuali oratione, ac petitione diuini auxilij. Quia cum in illis omnibus homo semper operari debeat vt Dei instrumentum, à quo debet efficaciam illorum expectare, tunc perfectè sunt, quando prædicta oratio cum eis adiungitur. Igitur si debito modo tales actiones fiant, ex se non impediunt perfectionem vitæ contemplatiuæ, sed potius ex se iuuant. Et quanuis contingat aliquando impedire actualem quandam interiorem suauitatem & dulcedinem, illud non est substantiale detrimentum, multò que magis perfectionem auget opus charitatis erga proximos propter Deum factum. Propter quod dixit Greg. i. p. Pastoralis cap. 5. ad finem. Sui nonnulli, qui magnis muneribus dicuntur solius contemplationis studiis inardescunt, perire vitæ proximatorum predicatione refugium, secretum quietis diligunt, se ipsam speculationem persequuntur: de quo si districtè iudicetur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesset potuerant: quia enim mente, qui proximis profuturus consisteret, utilitati casuorum secretum proponit suum, quando ipse summum Patris vigenus, vt multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?

C A P V T VII.

In quo gradu perfectionis Societatis religio consistit sit.

I. Quamuis omnis religio sit actus perfectionis, tamen non omnes in perfectione querenda æquales sunt, quia non omnes omnia consiliorum opera exercent, & ideo quædam in altioribus versantur, quàm aliæ, iuxta varios fines proximos in quos tendunt, vt in superioribus visum est. Et ideo ad perfectam noticiam Societatis tradendam necesse est, quantum sine inuidia, & arrogancia fieri possit, quem gradum in hoc ordine perfectionis attingat, explicare. Quod quidem in his, quæ hæc tunc diximus tam clare continetur, vt noua expositione non indigeat. Tamen vt aliquorum obiectionibus satisfaceret, hoc omittere non potuimus. Aliqui enim Societatem magnæ imperfectionis arguunt, tam in munere vitæ actiuæ, quàm contemplatiuæ; vnde concludere conantur, illius institutum valde imperfectum esse. Priorem partem ad vitam contemplatiuam pertinentem, ex eo colligunt, quod Societas præcipuum huius vitæ munus, quod in psalmodia & diuinis laudibus decantandis consistit, non fungatur. Et ideo omnes antiquiores religionum institutores hanc præcipuè in suis regulis commendauerunt, vt constat ex Basilio frequenter in suis regulis, tam fusiùs, quàm breuius disputatis, & Benedicto in sua regula à cap. 9. per plura frequentia, & ex Augustino etiam in sua regula, quos omnes posteriores religiones imitæ sunt, præsertim mendicantes, quæ ex vi sui instituti eleemosynas fidelium aluntur, & hac ratione videntur speciali titulo obligari ad diuina officia publice decantanda. Propter quod Sor. de Iust. li. 10. q. 5. art. 3. circa finem cum dixisset religionem approbatam teneri officium diuinum in communi celebrare, quia illud est præcipuum contemplationis munus, subdit: Loquor de regularibus, antiquis: nam si alius religionis modus circa huiusmodi obligationem admittatur, cerè vix nomen religionis meretur, quippe quæ maximo splendore religionis caret: Quem imitatus est Trullo li. 2. Ordin. Canon. c. 12.

Prima obiectio quædam in Societatem, quod choristis non habeat.

II. Secunda obiectio in eandem Societatem, quod iuxta non vniuersum loquendo, huiusmodi penitentia, afflictionem, & austeritatem corporis, & in vniuersum loquendo, huiusmodi penitentia, & austeritatis exercitia maxime necessaria sunt ad perfectionem assequendam. Propter quod omnes

etiam antiquæ religiones in hac vitæ austeritate magna ex parte fundatæ sunt, sicut de antiquis monachis per Egyptum latè refert Euseb. lib. 2. histor. ca. 17. & ex Athanasio in vita Antonij, & ex alijs historijs antiquorum Patrum constat. Et D. Basilij esum carniū suis monachis prohibuit. Et author sermon. 1. de communi vita clericorum, alias sermon. 5. ad fratres in eremo, de illis eremitis ait. Postquam eremum intrauerunt, nunquam carnes sumpsērunt, ouino colore, nigerime, asperitimoque induti sunt. Et libro 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. mirum in modum Augustinus exaggerat, & laudat seuerissimam antiquorum cœnobitarum, & eremitarum vitam. De qua multa etiam apud Hieronymum. in epistol. 22. ad Eustochium de custodia virginis, præter alia quæ epistol. 4. 13. & alijs de hoc genere vitæ commendat. Sanctus etiam Martinus (vt in eius vita refert Sulpicius) vsum vini in suo monasterio suis monachis interdicebat. Benedictus etiam in sua regula cap. 39. à carnibus voluit abstinere monachos præter debiles, & infirmos. Quod seruari præcipitur in cap. Cum ad monasterium. de statu monachorum. vbi etiam linea camisia prohibentur monachis. Vnde in cap. carnem (inquit Fructuosus Episcopus) cuiquam monacho, nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia, non quod creaturam Dei indigne, sed quod carnis abstinentia utilis & apta monachis asstinetur. D. Diuus Gregor. in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, vt refertur in cap. denique. d. 4. Sacerdotes (inquit) & Diaconi, & reliqui omnes, quæ dignitas Ecclesiæ, ad exornat, à quibus quædam propositum ieiunandi suscipiant. Et subdit rationem ad rem præsentem multum pertinentem; Quo & aliquid ad presens sanctæ institutionis adiungunt, & eorum qui in laicali ordine consistunt obferuntur. sicut i. co. 12. ita religio præcellat. At verò Societas non solum antiquam religionum austeritatem non imitatur, verum etiam in hoc genere ferè nihil peculiare proficitur, præterea, quæ ex communi vfu, vel præcepto Ecclesiæ omnes obseruare tenentur. Est ergo in hac parte valde imperfecta, Chritique, & Apostolorum vestigia non sequitur; vt modernus quidam in illam tacite obiecit, præter alia quæ in lib. 9. ca. 7. agendo de vfu exercitiorum asseremus.

Author sermonum ad fratres.

Auendanti. tract. 11. in Psal. Beati immaculati. v. 3.

Societatem ex vi sui instituti perfectissimam religionem esse.

Nihilominus dicendum est, religionem hanc ex vi sui instituti perfectissimam esse, ita vt supremo ordine statuum religionum constituta sit, & in eo non infimum gradum teneat. Vt sensum conclusionis explicem, suppono quod in tractatu 3. lib. 1. c. 6. cum D. Thom. ostensum est, religiones, quæ puram vitam contemplatiuam profitentur, ex suo genere perfectiores esse illis, quæ ex vi sui instituti vtramque vitam apprehendunt, vtrisque perfectiores esse. Ex quo D. Thom. q. 88. art. 6. concludit. Summum gradum in religionibus tenent qui ordinantur ad docendum, & prædicandum. In hoc ergo sensu dicimus religionem Societatis in supremo ordine perfectionis religiosæ constitutam esse. Quod supposito dicto principio euidenter concluditur ex his, quæ de fine huius religionis diximus in cap. 1. ostensum est enim religionem hanc esse institutam per se, & directè, tam ad opera vitæ contemplatiuæ, quàm actiuæ, & ad docendum, & prædicandum; & ad alia spiritalia opera circa proximos exercenda cum maxima perfectione, & propensione.

III.

Notatio ad probationem.

Suadetur prima pars primo.

Secundò, potest hoc explicari ex alio principio posito, quod Societas per se est religio presbyterorum. Nam loquendo ex genere, religio clericorum perfectior est, quàm religio monachorum, quod

IV.

Suadetur secundo.



quod sumi potest ex cap. 1. & 2. 19. q. 3. vbi prohibetur canonici regulares ad monachatum transire, quantum illud possit exponi factum esse propter dignitatem sacerdotalem, ut indicat D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. & supra in tract. 8. lib. 3. cap. 10. expensum est. Inde tamen possumus ulterius argumentari: nam ordo sacerdotalis per se est dignissimus, & statum perfectionis aliquo modo attingens, ut in superioribus significatum est, & sumitur ex Dionysio, toto lib. de Eccles. hierar. & Chrysost. hom. 38. in Matth. vbi ait sacerdotes esse quasi cor, & stomachum Ecclesie, quoniam ab eis recipit Christianus populus vitam influxum, & spirituale alimentum. Ergo religio, quæ per se primò ordinatur ad perficiendos sacerdotes, ut sic, id est, in ipsis muneribus sacerdotilibus, perfectior sine dubio est ex suo genere, quam professio, quæ per se est laicorum, qualis est monachalis, & ideo hæc religio initiandorum vocatur à Dionysio c. 6. de Ecclesiast. hierarch. & propterea ex monachis ad sacerdotium assumebantur de licentia Abbatum quando digni inueniebantur, ut sumitur ex Gregor. lib. 5. epist. cap. 127. aliàs epist. 27. unde est etiam illud Hieronymi epist. 4. ad Rusticum: *Sic vixit in monasterio, ut clericus esse mereatur.* Quia verò hæc comparationes semper intelliguntur cæteris paribus, vel quatum est ex tali capite, ideo fieri potest, ut duæ religiones mutuò se excedant, quatenus una magis attendit ad munus proprium sacerdotum, quam ad concionatorum. Altera verò econtra magis ad hoc quam ad illud munus incumbit. Postea verò ad faciendam illam comparationem simpliciter, oportet illa capita, seu munera inter se comparare, quod ad nos non spectat. Societas enim in utroque illo genere existit, & simul utrumque caput amplectitur, ut cap. precedenti ostensum est: unde ex hoc capite perfectior etiam est ex genere suo, quam quælibet alia, quæ vnum tantum genus illorum participat: maxime cum in singulis generibus illorum magnam quandam perfectionem intensiuam (ut sic dicam) & extensiuam habeat: nam est religio sacerdotum, tam quoad munera diuinorum mysteriorum, quam quoad cætera ministeria, quæ ad perficiendum corpus Christi mysticum diriguntur: & ordinatur ad prædicandum, & docendum, quocunque per Christi vicarium mittantur, & cum omni perfectione, in superioribus satis explicata.

V.  
Sua dicitur  
tertio.

Hinc denique addi potest tertia ratio, sumpta ex D. Thoma dict. art. 6. nam *supremum in vnoquoque genere est mensura ceterorum*: in statu autem perfectionis supremum locum tenent Episcopi: ergo religio quæ ad illum statum propinquius accesserit, erit ex suo genere in altiori statu perfectionis, quam reliquæ: sed Societas propinquissimè videtur accedere ad statum Episcopalem, quantum ad id unde habet, quod sit status perfectionis: ergo. Probatur minor, quia Episcopi dicuntur præcipue esse in statu perfectionis, quia sunt in statu perfectionis communicandæ, & quia ad hoc obligantur ex officio, etiam si oporteat pro ouibus dare animam suam, & quia in illo munere firmitatem habent ex obligatione sui status, sed hæc omnia participat excellenti modo Societas, nam ex vi sui finis ordinatur non modò ad perfectionem acquirendam, sed etiam exercendam, & communicandam, & ex vi suorum votorum (quod illi proprium est) ad hoc obligatur, non obstante quacunque difficultate, peregrinando per vniuersum orbem, etiam mendicando, si opus sit, & pericula quæque subeundo, vsque ad sanguinis effusionem: in quo munere habet etiam firmitatem ratione obligationis voti, ergo etiam ex hoc capite proximè accedit ad statum perfectionis Episcopalis. Differt autem (ut cap. 2. n. 8. dixi) quia non principaliter, sed ministerialiter hoc munus sustinet.

Item quia non se extendit ad conferenda illa sacramenta, per quæ aut fideles in perfectio quodammodo Christianitatis constituuntur, ut est Sacramentum confirmationis, aut creantur ministri perfectionis aliorum, ut est Sacramentum ordinis. Sed in his omnes religiones inferiores sunt Episcopis, quorum sunt adiutrices. In hoc verò potest speciale aliquid in Societate notari, nam videtur specialiter instituta in ministerium Apostolicæ Sedis, ut ex bullis Pontificijs sæpè adductis manifestè constat. Unde etiam Clemens VIII. benignè alloquens Patres, qui ex vniuersa Societate Romæ congregati fuerant anno 1600. Societatem *brachium dextrum sedis Apostolicæ* appellare dignatus est. Ex quo etiam factum est, ut ab eadem Sede Apostolica plurimæ gratiæ, & facultates in Societatem manauerint, in ordine ad ministeria exercenda circa salutem animarum, & communicando potestatem suam ad perficiendos alios, ut ex eisdem Pontificijs bullis manifestum est, & in lib. 9. exponemus.

Ex his non erit difficile alteram partem conclusionis probare; scilicet, non habere Societatem in illo ordine infimum gradum, quam per hanc negationem, potius quam per positivam comparationem proposui, ut omnem inuidiam vitarem. Duo enim solum ostendere intendo, vnum est habere in illo ordine factis magnam perfectionem: Aliud est, ex illis duobus capitibus, quæ nobis obijciuntur, non posse colligi huic religioni deesse aliquid perfectionis debite, & conuenientis sibi iuxta finem suum, & consequenter, nec sibi simpliciter melioris: neque etiam ob has causas posse iuste postponi alijs, qui piæ, ac religiosè sanctas illas actiones exercent. Quæ verò in particulari pensatis omnibus perfectionibus, non est meum diiudicare, ut sæpe in hac materia dixi.

Illud ergo prius (posterius enim c. 8. & 9. præstatum) multis profectò, & manifestis modis ostenditur potest ex his, quæ hætenus de hoc instituto diximus, prius in Primò ex fine, qui sine dubio est altissimus omnium, quoad perfectionem: Nam est idem cum fine Apostolicæ institutionis, & ad eundem finem aduentus Christi in mundum: & quantum multæ religiones eundem finem possint intendere aliquo modo, tamen Societas perfectio quodam modo se ostendit in illud propensa: nam per actiones in suo ordine perfectissimas, & per omnes, quæ moraliter desiderari possunt, illum inquirat. Docet autem D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6. inter religiones respicientes eundem finem illam esse perfectiorem, quæ per actionem perfectiorem illum attingit, & cæteris paribus, illam quæ per plures actiones. Quod etiam ex communi sententia doctorum, c. 3. ostendimus.

Secundò idem suaderi potest ex perfectione trium votorum, in quibus substantia religionis constituitur: iam enim in citato loco à n. 4. indicauimus, quantum sit, tam intensiuam, quam extensiuam perfectio Societatis in materia, & obseruantia horum votorum, & ceteris præsertim quantum emineat in obedientia quæ a superioribus est excellentior. Tertiò probari potest ex alijs, quæ in medijs, quibus ad finem suum hæc religio virtutibus, nam & in se sunt plura, & valde perfecta, & ad finem intentum maxime proportionata, ut eo illo eodè capite satis constat: supposita autem perfectione finis, nulla maior perfectio in aliqua religione desiderari potest. Nam ut rectè dixit S. Antonius Abbas, & refert Moyses Abbas apud Calsianum col. 2. ca. 2. *Optima ratio inquit eadem perfectionis non in his, vel illis actibus, aut multitudinè earum, sed in discretionis potestate est*: nulla autem est maior discretio maiore prudentiæ perfectio, quam ut proposito optimo fine, conuenientissima etiam media, & ad illum maxime proportionata eligantur.

Quartò id ostendi potest ex perfectione charitatis erga



Quarto ex perfectione charitatis erga proximum.

erga proximum, quam hæc religio proficitur, vt toto lib. 9. constabit latius. Illa ergo cerni potest primo in vnione religionis, & membrorum eius inter se, de qua supra dictum est, & dicitur latius l. 8. c. 8. Deinde in beneuolentia erga proximos, quæ vt D. Thom. docuit opusc. 18. c. 4. tunc perfecta ostenditur, quando ad omnes amicos, & inimicos, fideles, & infideles extenditur, & quando pro eorum commodis præsertim spiritualibus, propria incommoda temporalia & corporalia etiam vsq; ad mortem, si opus sit, contemnuntur. Quæ omnia manifestè cernuntur in modo diligendi proximos quem hæc religio proficitur. Testimonium enim huius beneuolentia est beneficentia; nam testifi. atio amoris exhibitio est operis, vt dixit Gregor. hom. 17. in Ezechiel. & in illud i. Reg. 3. Non erat visio manifesta & iterum hom. 30. in Euang. At Societas hoc beneficentia genus planè proficitur, vt euidentissimum est ex eius instituto, & peculiari, ac propria obligatione, qua tenetur, non pro communibus Ecclesiæ hostib. (ne dum catholicis vnuerfis) sed pro suis etiam priuatis inimicis, æmulisq; gratiosè orare, quod ad beneuolentiam spectare docuit D. Tho. 2. 2. q. 31. a. 2. ad 1. Offerre item (quod specialius est) sacrificia pro ijsdem, ac denique ex paupertatis voto nullum ab eis acceptare stipendium, aut compensationem, quos tam sedulo, tamque laboriosè literis imbuunt, aut consilio in rebus dubijs instituit, salutarique doctrina pro concionibus imperit. Atque hinc constat quinta ratio, quæ sumi potest ex perfectione charitatis ad Deum. Vnum enim ex maximis signis dilectionis ad Deum, est dilectio proximi, propter quod scriptum est Rom. 13. Qui diligit proximum, legem impluit: ergo etiam perfectio charitatis erga proximum, magnum indicium esse debet perfectionis charitatis erga Deum: præsertim cum ex vi sui instituti, vt dixi, teneatur Societas in animarum salute procuranda, nullum temporale commodum querere, neque honores, aut humanas dignitates: quid ergo ei superest, nisi diuinam gloriam, propter se ipsam querere, prout in suis constitutionibus sæpe admonetur. Hoc autem proprium est amoris Dei propter se ipsum, ergo.

X. Hinc sextò ad hanc perfectionem, spectare potest singularis illa gratia *vocationis*, quam cap. preced. nu. 9. ostendi ab Spiritu S. dari. Quamuis enim hæc distributione accommoda, vnicuique religioni tribuatur: verisimile tamen est, ei dari copiosiorē, & maiorem, quæ ad altiores effectus diuinæ gratiæ assumitur; nam vt ibidem quoque ostendi confert Deus gratiam iuxta mensuram obligationis, & muneris, quæ gratia etiam crescere solet ex dispositione hominis, ad quam pertinet affectus ille, quo persona, vel maiorem difficultatem propter Deum amplectitur, vel magis se ipsam abnegat. In vtroque autem videtur hæc religio habere singularem excellentiam: nam ex parte Spiritus S. instituta est ad excellentiores effectus diuinæ gratiæ, quales sunt Ecclesiæ propagatio, fidei defensio, animarum conuersio, & perfectio. Ex parte verò eorum, qui ad hanc religionem vocantur, quia eximia quædam abnegatio ab eis postulat, ita vt nec locum, nec officium, nec quidquam aliud certum, aut securum habere possint, sed ad omnem mutationem, omnemq; difficultatem superandam expositi semper esse debeant, & sine dubio credendum est propriam gratiam huius *vocationis* singulari modo esse perfectam, & paratam, quantam est ex parte Dei. Deniq; posset hic etiam considerari singularis providentia huius religionis ex vi sui instituti, tam in promouendo ad bonum subditos suos, medio vsu sacramentorum & aliarum spiritualium rerum; quam in præcauendis malis, seu obstaculis, & impedi-  
tus vigiliant. mentis spiritualis profectus. Sed hæc & in superio-

ribus tacta sunt & toto li. 8. recurrent, & expenduntur etiam statim punctum alterum n. 6. propositum prosequendo.

# C A P V T VIII.

Conuenienter in Societate cantus, & chori ordinarij usum non esse.

Superest vt obiectionibus factis respondeamus: Inde etiam facile colligitur, quod in cap. preced. n. 6. secundo loco propositum est, scilicet, non posse religionem hanc aut imperfectionis argui, aut alijs religionibus postponi, eo quod vel cantu, & choro non vtatur ordinariè (in casu enim aliquo vsum admitti patet ex congregatione generali l. can. 25. & congreg. 2. can. 24. & congreg. 3. can. 9. & ex iis, quæ l. 8. c. 2. n. 4. in fine attingemus) vel quia in exteriori victu, & vestitu specialem austeritatem non profiteatur. Ad quod in primis suppono, non pertinere ad perfectionem alicuius religionis, vt omnia consilia collectiue (vt sic dicam) & in particulari amplectatur, & profiteatur. Quod significauit D. Th. 2. 2. q. 186. a. 2. & latè à nobis explicatum est tractando in genere de statu religionis tractat. 8. Et ratio euidentis est, quia impossibile est multitudinem omnium consiliorum simul exequi, & obseruare, imò quædam eorum possunt esse impossibilia, vt simul fiant, vt inferuire infirmis, & cõcionari, aut eodem tempore, aut continuo officio: sæpe enim ipsa rerum multitudine obruitur humana natura, & aut vires corporis decidunt, aut feruor spiritus extinguitur, & ita propter indiscretum onus, sæpe in virtute non perseueratur, vt dixit S. Antonius apud Calsian. dicta collat. 2. cap. 2. Et colligitur optimè ex verbis illis Apostolorum Act. 6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Opus enim illud ministrandi optimum erat, & sub consilio, non tamen statui Apostolorum accommodatum, quia non poterat simul cum munere prædicationis coniungi.

Quapropter quando fit comparatio inter religiosos status, & vni videtur deesse aliqua obseruantia religiosa, & exercitium alicuius operis sub consilium cadentis, quod in alijs religionibus inuenitur, non statim potest talis religio aut imperfecta, aut inferior alijs simpliciter iudicari. Sed vt de vtraque illa re iudicium feratur, duo cum partitione accommodata pensanda sunt. Vnum est, an tale opus sit accommodatum fini talis religionis, vel potius an considerato illo fine expediens fuerit tale exercitium in tali religione non admittit: nam si prudenter hoc ita iudicatum fuerit, carentia illius obseruantia non poterit iuste existimari imperfectio priuatiua (vt philosophico more loquar) talis religionis, cum non sit carentia perfectionis illi debita vel conuenientis iuxta finem suum: imò nec imperfectio negatiua simpliciter reputanda est, si finis ille propter quem talis obseruantia omittitur, perfectior est illa, sicut ex Diuo Anselmo Theologo, & Philosophi dicunt; non pertinere ad perfectionem simpliciter habere formaliter perfectionem illam, quæ maiorem excluderet. Vnde statim sequitur aliud considerandum; an scilicet carentia illius boni exercitij alio meliori compensetur, quod simul cum alio moraliter esse non potest, atque ita rectè fiet iudicium illud comparatiuum. Si enim aliqua religio tali bono careat, idque non propter aliud maius, vel æquale, quo carentia illius boni compensetur, sine dubio ea religio, quæ ceteris paribus, in tali bono excesserit, perfectior erit. Si autem ille defectus aliunde compensatur, non potest altera religio simpliciter iudicari excellentior, sed

Non potius ad perfectiorem religionem omnia consilia collata: ne proferatur.

II. Duo consideranda vt comparatio inter duas religiones fiat vnum.

Alterum.